

voluntatem ejus; ergo præcepta Dei consistunt in voluntate ejus. Unde etiam unum ex signis voluntatis divinæ, quæ numerantur a D. Thoma 1 p. quæst. XIX, art. IX, est præceptum, seu imperium. Ergo saltem in Deo imperium ejus consistet in actu voluntatis, præsertim quia Deus intra se non habet potentias diversas, vel actus quibus imperet; ergo intra Deum non est necesse ponere actum ordinativum intellectus pro imperio. Ad movendum autem alios et imperandum eis, sufficit voluntas sua, cui omnia obediunt; ergo non omnis actus imperii consistit in actu intellectus. Et quod attinet ad imperium humanum, etiam illud pertinet ad voluntatem sicut et ipsa lex, quæ præcipiendo ordinat. Unde dicitur leg. 1, ff. de constitutione principis, et in §. Sed et quod, instituta de jure naturali gentium, et civili: « Quod principi placuit, legis habet vigorem. » Ergo in ipso placito lex consistit.

XXIV. Secundo arguitur, quia ad illam potentiam pertinet formaliter, et substantialiter imperium, ad quam pertinet dominium, cum imperare sit propriissime actus domini, et superioris in subditos; sed dominium formaliter residet in voluntate: ergo et imperium. Minor probatur, quia dominium formaliter est potestas libera, et sui juris, et quæ se movet prout vult, formalis autem libertas, et potestas proprii juris in voluntate est, non in intellectu: ergo imperium proprie, et formaliter est actus voluntatis, licet directive sit intellectus, quia pertinet ad intellectum dirigere voluntatem, dominium autem, et libertas in voluntate est, et sic Aristoteles III de anima, dixit: « Intellectum non esse dominum actus, sed appetitum. » Et idem sumitur ex alia conditione requisita ad imperium, scilicet efficacia, et vis obligandi,

quia imperium movet: proprium enim imperii est movere quoad exercitum, non quoad specificationem, quia movet cogendo et obligando, ut aliquid fiat, non autem alliciendo et attrahendo, quod est proprium objecti specificantis. Motio autem quoad exercitum, et ejus efficacia propria est voluntatis, et ab illa nascitur, non ab intellectu; ergo imperium sic movens, et obligans est actus voluntatis formaliter, et executive.

XXV. Confirmatur, quia charitas, quæ est in voluntate imperat reliquis virtutibus, etiam his quæ sunt in intellectu, ut fidei, et prudentiæ: et religio quæ est in voluntate imperat actum orationis, qui elicitor ab intellectu; ergo intellectus potius est imperatus, quam imperans, et voluntas est quæ imperat; ergo imperium est actus voluntatis formaliter; præsertim quando intellectus est imperatus, quia tunc non potest intellectus imperare sibi ipsi. Nec potest dici, quod imperium pertinet formaliter ad intellectum, et præsuppositive ad voluntatem. Eadem enim ratione potest dici oppositum, quod scilicet præsuppositive sit actus intellectus, a quo incipit ordinatio; et denuntiatio, voluntas autem consummet actum imperii movendo, et applicando quantum ad efficaciam. Cur ergo non fiet potius hoc modo, quam opposito?

XXVI. Tertio arguitur, quia si propter aliquam rationem imperium est actus intellectus, maxime quia est actus prudentiæ, quæ residet in intellectu; hæc autem ratio est nulla; ergo. Minor probatur, quia ad prudentiam solum spectat imperium, et præceptum ferre directive, non executive: utpote tradendo regulam, et modum faciendi, non vero faciendi. Formaliter vero, et executive hoc pertinet ad justitiam, quæ est in voluntate, quæ tri-

buit unicuique quod suum est, et ita subditis tribuit præcepta, et mandata, quia hæc ad eos pertinent, et spectat etiam ad potestatem jurisdictionis, aut domini, quantumcumque enim aliquis prudentissimus sit, non potest imperare, nec valet ejus imperium, nisi jurisdictionem habeat, et dominium in eos quibus imperat; ergo signum est actum imperii non esse formaliter actum prudentiæ, sed voluntariæ, ubi est jurisdictio, et dominium.

XXVII. Ultimo arguitur, quia nec est in intellectu assignabilis actus in quo convenienter ponatur actus imperii, nec conditiones ob quas tribuitur intellectui imperium ipsi conveniunt, sed potius voluntati; ergo in voluntate constituendum est imperium. Antecedens quoad primam partem probatur. Nam quidquid ex parte intellectus antecedit voluntatem superioris ad obligandum non habet vim præcepti, aut imperii, sed simplicis propositionis objecti, nec potest necessitatem inducere: quidquid autem hanc voluntatem sequitur, potius est signum imperii, et præcepti jam stabiliti, quam ejus constitutio, et ipsa etiam mentalis locutio, et dictamen, signum voluntatis præceptivæ est. Unde et in voto, et promissione, et juramento, et absolutione, videmus quod tota vis, et ratio istorum est ex intentione, et voluntate volendi obligare, aut absolvere; ergo actus isti proprie voluntatis sunt a qua totam vim habent. Quoad secundam partem probatur. Nam conditiones imperii, quæ ad intellectum pertinent, sunt esse regulam, seu mensuram humanarum actionum, illuminare, et dirigere, et tandem ordinare denuntiando, quæ agenda sunt. Primum, scilicet esse mensuram, potius pertinet ad voluntatem, quia voluntas superioris, et præsertim

Dei, est regula eorum quæ facere debemus, et cui debemus nos conformare. Secundum, scilicet illuminare, et dirigere est effectus legis, aut præcepti, hunc enim effectum facit in subdito, scilicet, illi dare notitiam de voluntate præceptiva superioris. Et ex hoc æquivocatio sumpta est, quia ex effectu, quem lex habet in subdito, attribuimus legi, et præcepto id quod pertinet ad intellectum, cum tamen lex non illuminet nisi subditum, et ei det notitiam de voluntate superioris. Tertium, scilicet ordinare recte pertinet ad voluntatem, quia hæc ordinat media ad finem, et ordinat locutionem intellectus ad alium ut denuntiet quod agendum est. Et locutionem Angelorum fieri per hoc quod voluntas ordinat conceptum suum ad alium Angelum, docet D. Thomas 1 p. quæst. CVII, art. 1, ut nos ibi diximus in secundo tomo, prima parte: Unde quando dicitur, voluntatem superioris non sufficere ad imperium, nisi intimetur, verum est, propter conditionem requisitam ex parte subditi, ut sibi notificetur lex; sed hæc non est formalis actus imperii, sed conditio, seu signum illius. Ex parte autem præcipientis intimatio ista non est aliud, quam voluntas intimandi cum obligatione; ergo ex hac parte non pertinet imperium ad intellectum, sed ad voluntatem.

XXVIII. Ad primum respondetur legem, et imperium non consistere formaliter, et substantialiter in ipsa efficacia, et ubi obligandi præcise, et nude, ab illa (ut diximus) consistere autem in ista efficacia ut denuntiata, et ordinata, quod fit per intellectum, et quamdiu non denuntiat, et formatur dictamen, et judicium de illa, non exercetur imperium, quia imperium ordinativum, denuntiativum est voluntatis, et in tali medio denuntiativo consistit,

licet id quod denuntiatur voluntas superioris sit. Et in Scriptura lex, seu mandatum vocatur voluntas, sed non sola, sed notificata, et denuntiata, ut cum dicitur Psal. CI: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*. Et licet id non exprimat, semper intelligi debet. Unde aliquando ipsa præcepta vocantur judicia, aliquando voluntates Dei, sicut Psalm. CXLVII: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*: Exodi XV: *Ibi constituit ei præcepta, atque judicia*: et Deuteron. IV: *Audi Israel præcepta, et judicia, quæ ego doceo te hodie*. Et multis aliis locis appellantur mandata Dei judicia. Quod non solum intelligi debet ratione effectus, quia secundum illa debebant homines judicare, sed etiam ratione sui, quia præcepta illa judicia Dei sunt, quibus iudicat, et proponit, atque mandat quid faciendum sit. Igitur in Scriptura utrumque ponitur, et id quod pertinet ad voluntatem, et id quod pertinet ad iudicium, seu dictamen in præcepto, et imperio, seu lege. Unde ex hoc non potest concludi quod formaliter consistat lex, et præceptum in actu voluntatis, sed quod illum supponat, et voluntas ipsa obligativa declarata, et dictata, seu ordinata per intellectum sit lex, et imperium, ordinatio autem, et declaratio formaliter fit per actum intellectus, sed quia primum movens est voluntas, et res quæ imperio ordinatur est voluta, dicuntur aliquando præcepta voluntates Dei. Et ideo præceptum est voluntas signi, seu signum voluntatis, quia præceptum est ipsum signum (et hoc pertinet ad intellectum) voluntas autem non est ipsum præceptum, sed res præcepta, et isto signo denuntiata, sed ipsum præceptum signum est, et denuntiatio dicens: *Fac hoc*; et ly hoc est volitum, seu res denuntiata, ly fac est signum

denuntians, et hoc est formaliter præceptum.

XXIX. Ad id quod dicitur de imperio divino, dicimus istos actus poni in Deo semotis imperfectionibus, non enim ibi ponitur actus imperans, et imperatus superior, et inferior, sicut nec intentio, et electio tamquam actus diversi, sed omnia ista unus actus sunt in Deo attingens ex parte objecti diversas res, et rationes ex parte quantum distinguuntur. Deus autem non solum voluntate movet tamquam primo movente, sed intellectu immediate imperat, quia dicendo operatur, et præcipit: *Ipse enim dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*, Ps. CXLVIII.

XXX. Ad id quod dicitur de imperio humano respondetur, quod quando dicitur inesse legem quod principi placuit, loquitur de lege non ex parte actus in quo formaliter consistit, sed ex parte objecti circa quod versatur; res enim quæ lege præscribitur est id, quod principi placet, et sic præsupponit placitum ex parte voluntatis, consistit autem formaliter in dictamine, et denuntiatione tale placitum imperante.

XXXI. Ad secundum respondetur distinguendo majorem. Ad illam potentiam pertinet formaliter actus imperii, ad quam pertinet dominium, distingo; ad quam pertinet dominium ut præcise movens, et volens nego majorem; dominium ut denuntians, et ordinans, concedo. Ad minorem: Dominium pertinet formaliter ad voluntatem distingo; pertinet inhæsi, et quantum ad principalem actum movendi, concedo; pertinet ordinative, et participative, quantum ad actum denuntiandi, et ordinandi, nego. Imperium autem non est actus dominii ut præcise movens, sed ut regulans, et dirigens, et denuntians, pertinet

enim ad dominum rationabiliter procedentem non solum movere, et impellere subditos, et præcise cogere, sed rationabiliter, et moderate regere, et hoc est regulare, et dirigere per rationem denuntiando. Quare imperium est actus dominii non pure impulsivus, et coactivus, sed regulativus, ideoque præsupponit quidem actum dominii, qui est motio, et ex hac parte pertinet ad voluntatem, sed præsuppositive, et motive; consummatur autem in regulatione, et directione, et ideo exercetur in intellectu, qui etiam habet dominium, seu exercet illud participative a voluntate, quatenus est dominium regulatum, et moderatum, et non pure cogens, et movens, hoc enim est imperium irrationabile, si ad hoc ordinet intellectus, ut cogat voluntas, ita ut coactio, et impulsus sit ultima, et consummata ratio imperii: magis autem imperium rationabile est ita cogere, seu movere, ut regulare, et moderari possis; ideoque imperium rationale et proprium hominis, in regulatione, et denuntiatione consummatur, licet abuti possit voluntas intellectu in hac parte faciendo, quod solum denuntiet quod libitum est, et quod coactivum, semper tamen mediante intimatione præcipit, et ordinat.

XXXII. Idem dicimus de efficacia, et motione quoad exercitium, quod invenitur quidem in imperio, sed participative, et originative a voluntate, illa tamen coactio, et obligatio involvitur, et exercetur cum regulatione, et denuntiatione, et ex hac parte movet etiam quoad specificationem, sed non solum quoad exercitium ex motione, et obligatione voluntatis; et ideo non præcise movet alluciendo, et suadendo, sed etiam obligando; sed nec præcise obligando, sed etiam moderando, et ra-

tionabiliter denuntiando, et ordinando, et sic mixtim movet quoad specificationem, et exercitium sub diversis formalitatibus.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur, charitatem et religionem imperare intellectui, et virtutibus, quæ in eo sunt in quantum est primum movens ut formetur per intellectum imperium ad ordinandum in finem talium virtutum. Igitur eo modo istæ virtutes, quæ sunt in voluntate imperant, quo ipsa voluntas, scilicet quantum ad id quod motionis est in imperio, et præsuppositive se habet, non quoad formale ubi exercetur quod est ordinativum, et regulativum, sed hoc mediante actu intellectus faciunt. Et cum dicitur, quod imperant ipsi intellectui, et virtutibus, quæ in eo sunt, et sic intellectus est imperatus, non imperans, respondetur non repugnare quod actus intellectus impereatur, sicut etiam imperatur actus voluntatis, etiam dato quod imperium sit actus voluntatis, ut docet S. Thomas in hac quæstione, art. V et VI. Et ponens D. Thomas hoc ipsum argumentum in articulo sexto quomodo scilicet rationis actus imperetur, cum ipsa ratio sit imperans, respondet ad primum: « Quod hoc modo ratio imperat sibi ipsi, sicut et voluntas movet se ipsam, ut supra dictum est, in quantum scilicet utraque potentia reflectitur super suum actum, et ex uno ad aliud tendit. » Itaque quando charitas, aut religio imperat aliquem actum intellectus ut fidei, orationis, etc. voluntas movet, et impellit intellectum ut formet denuntiationem, et dictamen quasi actum reflexum, quo actum illum sibi imperet, et sic distinguitur actus imperatus ab actu imperante. Et istum actum reflexum pro imperio actus intellectus S. Thomas clare admittit: nec inusitatum debet vi-

deri, quia licet nos non semper istas reflexiones advertamus, judicia tamen, et dictamina de faciendo tali actu fidei, vel orationis, aut prudentiæ bene sentimus, cum id sæpius judicemus hic et nunc expedire.

XXXIV. Ad id autem quod dicitur, cur non dicitur actum imperii esse præsuppositive intellectus, et formaliter voluntatis, sicut nos e converso dicimus, respondetur ex dictis id constare, quia consummatur ultimate, et exercetur actus imperii in denuntiatione, et ordinatione eorum, quæ agenda sunt. Certe si prius inciperet intellectus ordinando, et denuntiando, deinde sequeretur efficacia voluntatis in movendo, non posset intellectus repræsentare, et denuntiare ipsam efficaciam voluntatis per anteriorem actum, quia illa nondum est, sed indigeret actu alio consecuto, et posteriori ex parte intellectus, et in illo tunc consisteret imperium, eo quod maxime ad imperium pertinet manifestare, et denuntiare efficaciam voluntatis, nisi enim hanc denuntiet, non obligat: hanc autem non potest denuntiare, nisi præcesserit; ergo debet præcedere, et præsupponi motio voluntatis, consummari autem in ipsa denuntiatione, et actu intellectus, quo ipsa voluntatis efficacia manifestatur, et sic tam ipsam voluntatem, quam alias potestas ad exequendum efficaciter dirigit, et movet.

XXXV. Ad tertium respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur pertinere ad prudentiam imperare elicitive, producendo ipsum actum imperii, et non solum regulative: nam cum ipsum præceptum, et imperium regula sit, et dictamen agendi, idem est prudentiam regulative se habere, et elicitive in eliciendo imperium, quia elicere imperium, est elicere regulam, et ordinationem

agendi. Quod vero dicitur pertinere ad justitiam, respondetur in primis imperare non est strictæ justitiæ, sed potius gubernationis, et regiminis, et arbitrii; multa enim imperantur ob bonum regimen, et arbitrarium, non ex justitia, multa etiam malo arbitrio imperantur, et contra justitiam. Non ergo universaliter omne imperium ex justitia est, quia non omne justum est. Et si aliquando est ex justitia legali, quæ respicit bonum commune, hoc ideo est quia justitia legalis movet, et utitur intellectu ad imperandum, non ipsa elicit formaliter actum imperii. Est autem imperium actus jurisdictionis, sicut domini, scilicet motive, et præsuppositive, formaliter autem et executive est domini manifestati, et denuntiati mediante intellectu.

XXXVI. Ad ultimum negatur antecedens. Ad probationem pro prima parte dicitur, imperium esse actum, seu iudicium ordinativum de agendis quoad ultimam executionem, et sic sequitur voluntatem volentem obligare, et facientem impetum ad exequendum. Et talis actus sequens istam voluntatem est quidem signum manifestativum ejusmodi voluntatis, sed non supponit imperium constitutum, sed potius constituit, eo quod imperium signum est voluntatis, et in ratione manifestativa, et denuntiativa, voluntatis consistit. Quæ manifestatio primo in mente concipitur, deinde vocalibus signis (quæ sunt exteriora signa hujus imperii) manifestatur ad extra. Ad ea vero quæ dicuntur de voto, promissione, absolute, etc. respondemus, illa omnia dependere ab intentione ut valida sint, et obligent, quia omnis obligatio ex efficacia voluntatis procedit, et idem similiter admittimus in imperio. Sed hæc solum probant imperium procedere, et præsupponere effica-

ciam, et motionem voluntatis, non tamen in ea formaliter consistere.

XXXVII. Ad secundam vero partem argumenti dicimus, illas condiciones imperii non competere voluntati formaliter, et elicitive, sed motive. Nam esse mensuram agendorum non est imperium, nisi quatenus manifestata, et denuntiata, et rationabiliter ordinata, non ut præcise cogens, aut impellens, et ideo formaliter debet exerceri in intellectu denuntiante, et ordinante, non in voluntate cogente, cum potius efficaciam voluntatis debeat denuntiare, et ordinare, ac temperare. Esse autem illuminativum convenit imperio quasi active, imperato passive. Et ideo non est in hoc aliqua æquivocatio, quia lex, et imperium ita facit in subdito hunc effectum illuminandi, quod debet provenire ab aliquo lumine, seu manifestatione denuntiativa ex parte imperantis: alioquin unde illuminabitur subditus, si superior non manifestet, et ordinet. Quæ ordinatio prius debet esse in intellectu, postea in voce. Denique hoc quod est ordinare formaliter et elicitive ad intellectum spectat, motive et efficaciter ad voluntatem, quia ordinatio illa non est pure cogens et movens, sed rationabiliter ordinans. Et Angelus loquens ordinat per voluntatem conceptum suum ad alterum, a voluntate quidem incipiendo et movendo, per conceptum autem loquendo, et denuntiando formaliter, ut in II tomo, I p. disp. xxv diximus. Et cum dicitur, quod ex parte præcipientis intimatio est voluntas intimandi, dico, quod voluntas intimandi non est formaliter intimatio, sed res intimata, et vis efficaciter movens ad intimandum; intimatio autem fit formaliter per denuntiationem, et hæc in intellectu fit per dictamen, et regulam denuntiativam.

ARTICULUS III.

Qui sint actus imperabiles?

I. Ex his quæ in textu hujus quæstionis XVII diximus, colligitur regula discernendi, qui actus possint imperari, videlicet illi, qui sunt in potestate nostra et arbitrio, et in quibus efficiendis a ratione persuaderi possumus. Qui vero sunt extra talem persuasionem, et potestatem, seu gubernationem, imperio non subduntur. Quæ regula per se satis intelligitur, cum propria imperii natura ad regimen, gubernationemque superioris spectet, et potestatem petat, quæ cogere, et obligare possit ad obediendum sibi, alioquin inane, et vacuum erit imperium.

II. Ex hac regula facile colligi potest, qui actus, et cujus potentia imperabiles sint. Possunt enim imperari actus intellectus, actus voluntatis, actus appetitus sensitivi, actus potentia motiva, et reliquorum sensuum quantum ad id quod ex apprehensione, motuque locali dependet. Non possunt imperari actus partis vegetativæ, nec ea quæ sine apprehensione fiunt, aut quæ dependent ex aliqua alteratione naturali, quæ in manu nostra non est, ut motus genitalium, motus spirituum vitalium, et multa quæ interioribus sensibus aguntur, ut quod hoc, vel illud memoriae occurrat, quod sæpe in manu nostra non est.

III. Circa ista autem breviter occurrunt aliqua notanda. Primum, quod voluntas, et ratio imperant sibi ipsis non in eodem genere causæ, nec respectu ejusdem actus, sed in diverso genere, et respectu diversorum actuum. Unde istæ potentia ad invicem se movent, unaque